

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Laus o cum fonte primo

Dicit sermo diuinus ne laudaueris hominem in uita sua, tanquam si diceret: Lauda post mortem, magnifica post consumationem. Duplici tamen ex causa utilius est hominum magis memorie laudem dare quam uite ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio nocet, nec laudatum elatio temptet. Lauda ergo post periculum, predica securum; lauda nauigantis felicitatem, sed cum peruenerit ad portum; lauda ducis uirtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem diues possit hic sine trepidatione laudari qui et de preterito meminit se habere quod doleat et de futuro uidet sibi superesse quod timeat?

Ambrosius in natali sancti Eusebii.

Dicit sermo diuinus: Ne laudes hominem in uita sua (Eccli. xi); tanquam si diceret: lauda post vitam, magnifica post consumationem. Duplici enim ex causa utilius est hominum magis memoriae laudem dare, quam uitae, ut illo potissimum tempore merita sanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio movet, nec laudatum tentat elatio. Lauda ergo post periculum; praedica securum; lauda non nauigantis felicitatem, sed cum pervenit ad portum; lauda ducis uirtutem, sed cum perductus est ad triumphum. Quis autem vivens tuto possit, ac sine trepidatione laudari, qui et de praeterito meminit se habere quod doleat, et de futuro uidet superesse quod timeat?

Maximus Taurinensis, *Homeliae de sanctis*, 78 (PL 57, col.419A-B).